...ovius

Bieżanowski Stanislai Annulus perfectae charitatis Joanni Cynerski Rachtamovio oblatus.

ANNVLVS
PERFECTÆ CHARITATIS,
Triplici Gemmâ insignis,

Perill: & Adm̃. Rñdo Dño,

D. M. IOÃNI CYNERSKI RACHTAMOVIO,

Collegæ Maiori S. Th. Sententiario, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis CANONICO, Sanctorum Omnium Præposito,

Domino & Patrono fauentissimo,

Cùm in celeberrima Academici Senatus Corona, Quæstionem de CHARITATE *ex Distinct: 3. Libri 3. Magistri Sententiarum publicæ Disputationi proponeret,*

Honoris & gratulationis ergò,

& ad declarandum pro tanta inter fortunæ angustias protectione, gratissimi animi Symbolum,

A

STANISLAO BIEZANOWSKI Leopol. Art: & Philos. in Alma Vniuersitate Crac. Baccal.

Oblatus d.cq;.

Anno à partu Virginis, 1653. Mense Die

CRACOVIÆ, *In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsarij, S.R.M.Typ.*

S. Isidorus Iunior, Episc. Hispalen. lib: 2. Senten. cap: 3.

CHaritas dilectione Dei & proximi constat. Seruat autem in se dilectionem Dei, qui à charitate non diuiditur proximi. Qui à fraterna societate secernitur, à Diuinæ charitatis participatione priuatur. Non poterit Deum diligere, qui noscitur in proximi dilectione errare. Christus Deus & homo est; Totum ergò Christum non diligit, qui proximum odit.

Perill: & Adm. R̃nde D̃ne,

D. & Patrone fauentiſſ.

Longius afflictum puduit ceſſare poëtam,
Ne fatis illum ſuccubuiſſe putes:
Flectitur à ventis, ſed frangi neſcit arundo,
Altius à caſu ſurgere palma ſolet,
Vatibus hoc etiam ſolenne per ardua niti
Rarus laureolam ni patiatur, habet.
Non premitur cœleſte bonum, mortalia tantum
Jmperio ſortis ſub grauiore gemunt.
Dum nobis externa dolent, interna triumphant,
Non dominum grando ſed ferit iſta domum.
Perpluit hoſpitium mentis, tamen illa quieſcit,
Ædibus in laceris non lacerata manet.
Affligimur cute namq; tenus, pars maxima noſtri
Tunc inuicta magis ſi quatiatur erit.
Ac veluti Friſiis quondam correptus ab vndis
Sæuÿt irati, quando procella maris
Fluctibus in medÿs ſecurus dormiit infans.
Cunarum pelago lenè ferente ratem.
Et docuit vaſtum ſine remige nare per æquor
Non ſentire malas & tolerare vices:
Non aliter quos Muſa fouet, quos nutrit Apollo,
Et quibus ex ſolido mens adamante micat,
Jnconcuſſa gerunt aduerſis pectora rebus,
Nec mortalis eos per freta cymba vehit.
Afflicti placido magis indulgentq; ſopori,
Intus enim nectar quo recreentur habent.
Corporis hanc chlamydem Boreæ concedo furenti,
Non tamen hæc animo vis furibunda nocet.

Sors oculos inimica rapis subtilia frangens,
Pectoris ô potiùs marmora tunde mei.
Reddo libens quod Magne DEVS *Tibi reddere visum,*
Quidni? quod dederas sumere iure potes.
Non ideo frangor, non mollem soluor in vndam
Denegat & lucem sol aliquando suam.
Æternoq; diem format cum nocte recessu,
Non tamen & noctis gratia tota perit.
Jmperium nox somne Tuum dulcissime somne
Qui medium vitæ carpere somne soles.
Sollicitis, fessis, ægrotis blanda voluptas,
Et doctis quoties non vigilare volunt.
Quodsi Musa Tuis iuuat impallescere chartis,
Nox dabit hoc, sed non seditiosa dies.
Vmbra placet nobis mentem tranquilla serenant.
Jn turbis acies ingeniosa cadit.
Hanc noctem Diuina manus cùm fecerit in me
Otia ne pereant,, otia ludo mihi:
Aurea ne nimius rapiat mihi tempora somnus,
Complacuit somnum despoliare meum.
Sic aliquod noctis postquam decerpsimus horas,
Attulimus prædam Magne Vir ecce Tibi
Annulus est, inquis, quomodo sine lumine factus
Scire cupis fuerit quis mihi faber? Amor.
Jlle stupendus amor, quo nostram diligis artem,
Prouidus aut potiùs prodigus ille mihi.
Cuius ab insolito pendet mea Musa fauore
Qui nostræ curam lampadis vnus habet.
Tantus amor faberq; simul conflauit opellam,
Vsus malleolo Palladis, igne suo,
Auri Tu partem, partem concessit Olympus,
LOMBARDVS *gemmas, ordinis author ego.*
Si minus apposite, minus hæc compacta rotunde
Inuenies, oculis dicito forte carent.

ANNV-

ANNVLI
PERFECTÆ CHARITATIS,
Aurum puriſſimum,
Charitas DEI erga Creaturas.

Nihil odiſti eorum quæ feciſti.
Sap: cap: 11. ℣. 25.

IAm Te prophanis eripe cœtibus
Et otioſis Muſa negotijs
Luſuſque fortunæ relinquens,
Æthereum meditare carmen.
Hucuſque vanæ ſomnia gloriæ
Libaſſe vati ſufficit, infimi
Valete riui charitatis,
Gemmiferos ego malo fontes.
Tu Diua ſacræ lampadis ignibus
Accende pectus, verbaque fulguris
Inſtar miniſtra, vt æſtuanti
Ore pios iaculemur ignes.
Flammas loquamur, frigora cedite,
Permitto leni regna Fauonio
Inflata ceſſent, nam canentem
Pneuma ſacrum regit ecce Vatem.

Pupilla noſtræ mentis acutior
Gazas Olympi fors penetrauerat
Felice caſu, cùm ſtupendam
Diues amor reſeraſſet aulam.
Spectante toto mira reconditæ
Cœli ſenatu dona opulentiæ:
Immenſa cùm vis vnionum
Et numero ſine pondus auri.
Super gementi cardine grandibus
Flammis micarent, vidimus annulum
In parte ſecreta latentem,
Inſolito radiaſſe vultu,
Regale quiddam, delicias ego
Sponſæ putaſſem, Diuus amor niſi
Narraſſet arcanum, & rotundi
Me pretium docuiſſet auri,
Hoc vniuerſi maximus arbiter
Dicebat, olim fœdera vinculo
Mauſura ſeclîs, & perenni
Conſtituit ſocianda nexu.
Nec dum citatis ſidera curſibus
Erraſſe mundus viderat, iſtius
Cùm fulgor annuli tremendis
E manibus rutilare magni
Cœpit Tonantis, quem pretioſior
Mittebat auri ſol nitidiſsimi
Dilectionis, è fodinâ
Vberibus ſaliente venis.

Quod

Quod ipsa duxit limpida charitas,
Et absolutè clausit in ambitu:
Rotunditatis quidquid orbis
Inferior tenet, & supremus.
Creator æquè diligit omnia,
Quod solus æquè fecerit omnia:
Amore fabricante cœlos,
Oceanique solique vastam
Formante molem; supra alias tamen
Intelligentes diligit intime
DEVS creaturas, & ex his
Lætitiæ superum perenni
Prædestinatos diligit arctius,
Sed eminenti denique Filium
Complexus affectu, vniuersæ
Fudit in hunc mare charitatis.
A Patre tanto maxima diligi
Beatitatis portio, maxima
Damnationis pœna, cordis
Eius ab hospitio fugari.

ANNVLI PERFECTÆ CHARITATIS, GEMMA PRIMA, AMOR DEI.

Deus Charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ioan: Epist: 1. cap: 4.

O Quàm corusco lumine in annuli
Perfectionis vertice fulgido
Scintillat! ô quàm dulcè prima
Virgineo micat ore gemma!

Non

Non è profundi visceribus maris,
Quod Indus, aut quod trux Malabar bibit:
Erepta conchis non furentis,
Luxurie numeranda censu.
Gestauit illam Gratia lacteo
Diuina collo, sed vice muneris
Germana charitas receptam
Ipsa super rutilantis orbe
Locauit auri, nomen Amor dedit
Diuinus illi, quem Seraphim nisi
In corde quæras, vix pusilla
Pectoribus datur innocentûm
Scintilla tantæ lampadis, an quia
Odit pruinas, saxaq́ mentium
Inordinatas an vicissim
Quod nequeat tolerare flammas.
Omnes Parentem diligimus DEVM,
A Patre cuncti diligimur DEO:
Amore certamus, sed ô quàm
Sæpe gelu focus iste nostro
Extinctus alget! pectora millies
Æstus subintrat, flammaq́ sæculi
Pullos sub alas conuocanti,
Nos soboles fugitiua Patri
Eheu dolendum, claudimus aurium
Vias rebelles, hinc amor exulat
Nostri Parentis, hinc relictæ
Pauperies animæ pudenda.

Menti-

Mentita quando præpetibus bona
Fugere pennis, vnica charitas
Ad astra nobiscum citatis
Funera post remeat quadrigis.
Terras amamus vermiculi tamen,
Lutumq; nobis vt luteis placet:
Vmbrasq; corporumq; bullas
Insequimur pueri volantes.
Inter fugaces sæpe licentius
Iocamur annos, nostraq; tinniunt
Inanè vasa, quod superno
Heu miseri careamus igne.
Diuina quod si forte celerrimas
Scintilla vires sumpserit, illicò
Extincta cessat, vanitate
Præcipites glomerante curas
Vt corda fictis opprimat artibus;
Non nemo cœlum diligeret, nisi
Respectus esset fluctuantem,
Quo cupiat satiare mentem.
Tu forte cœlum si placeat Tibi
Cœlestis vt sis diligito Deum:
Manebit in Te diligendi
Fœdere, Tuq; in eo manebis.
Nam quod Creator sit mera Charitas,
Dilectionis dulce sacrarium
Festinus intrat; ô beata
Ciue DEO loca charitatis!

In his autem duobus mandatis, vniuersa lex pendet, & Prophetæ. Matth: cap: 22.

HVmanæ ſatias nuper mihi facta Mineruæ,
Viſaque cœleſtem mens mea velle ſcholam.
Cœpit & ardenti ſtudio cor aſtra ſitire,
Sed mihi diſcipulo nemo magiſter erat.
Fors meus internum conſpexerat Angelus ignem,
Si Tibi præceptor quæritur, inquit, adeſt.
Res ego difficiles Tibi per compendia ſoluam,
Sola docent quoniam quæ breuitate docent.
Tres niſi literulas cœleſtia dogmata norunt,
Lectio parua Deum ſufficit, inquit, A M A.

Cauſa & modus Deum diligendi.

CVm duodennis adhuc Salomonis Chriſtus in æde
Inſtrueret Patres clara Solyma Tuos.
Forte perantiquæ ſoluens ænigmata legis,
A magno magni cœpit amore Dei.
Cùmq; triumphanti ſimilis puer ille tenellus,
Totus in effuſas iret amoris opes;
Sculperet humanis vt mentibus altius illum
Hoc breue ſed penetrans pectora dogma dedit.
Scire cupis quicunque D E V M quænam ſit amandi
Cauſa? ait ipſe D E V S; quis modus? abſque modo.

Si linguis Angelorum loquar, charitatem autem non habuero, nihil ſum. D. Pau. 1. ad Cor. cap. 13.

ANgelicam poterat Paulus didiciſſe loquelam,
Cœleſtes potuit qui penetrare domos.
Raptus ad arcanum Regis conclaue tremendi,
Audijt humanis verba negata labris.

Hæc tamen ille poli bona si dilectio desit,
Non aliquid minimum sed putat esse nihil.
O res immensi dilectio ponderis! ô quàm
Te magis Angelico nectare Paulus amat!
Et meritò; per Te quoniam cœlestia spirant,
Non linguis illic fas sed amore loqui.

Isaiæ labra calculo ignito, quem forcipe tulerat de Altari, attrectauit Angelus. Isaiæ cap: 6.

IGnea facundum dilectio fecit Isaiam,
Vritur, vt possit cultius ille loqui.
Hinc Tua firmatur sententia Paule, quod ipse
Angelus Orator sit sine amore nihil.
Frigora dicentis quid enim succendere possent?
Inflammare voles? flammeus esto prius.
Vt Tuus auditor Solis velut igne liquescat,
Angelicis opus est Te radiare labris.
Vrere sed nostra si velles Angele linguas,
Iam Tuus algeret deficeretque focus.

Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.

COr DEVS humanum scrutari forte volebat,
Illud factorem diligeretné suum?
Diuitis ostiolum placuit reserare superbi,
Cor in eo magni ponderis arca fuit.
Eligitur nimij rursum sectator honoris,
Sed vice cordis ei, non nisi fumus erat.
Pectora delicijs iterum nutrita probantur,
Bacchus in his etiam regnaque Cypris habet.
Itur ad interius tandem conclaue piorum,
Hic quoque cor nullum sed manet ipse Deus.

Mox igitur fugitiua Deus cùm reddere vellet,
Corda suis iterum restituenda locis.
Hoc renuens, inquit, Diuini pectus amoris,
Cor sine thesauro nolo redire meum.
Quod si gaza mei cordis DEVS ipse redibit,
Cor ego sub tali conditione volo.

Cupio dissolui, & esse cum Christo.

O Quàm mi DEVS euolare vellem,
Ni me vincula corporis ligarent!
Ad te, mi DEVS, ire dissolutus
Totis ardeo sæpius medullis
Dissolui tamen atque liberari
Post suspiria mille post dolores,
Post incendia mille charitatis:
Non conceditur ah mihi roganti.
Nolo viuere, mors veni citata:
Sic te diligo, sic venire posco,
Vt desiderio tui liquescam.
Mors obsurduit; ô quis ergo nostrum
Ex hoc carcere liberabit ignem!
Saltem mi DEVS affer inuocanti,
Quam pridem ambio corporis ruinam,
Massam tu luteam nisi resoluas,
Ad te spiritus iste non abibit.
Tandem post gemitus frequentiores
Respondit DEVS; amplius necesse est
Ignem pectoris æstuare clausum.
Vt cùm viscera flamma deuorarit,
Extra prosiliens, & ipsa tandem

Mutet

Mutet vincula carnis in fauillam.
Tum quando rogus iste charitatis
Compagem in cineres tuam resoluet:
Prodibis nouus ex amore Phœnix,
Et pernicibus incitatus alis,
Ad nostrum poteris volare nidum.

ANNVLI PERFECTÆ CHARITATIS, GEMMA SECVNDA,

DILECTIO PROXIMI.

Hoc est mandatum meum, vt diligatis in vicem.

ET Tui nobis placuere vultus,
Et coruscantis nitor iste formæ:
Dum recens prodis rutilans venusto
Gemma decore.
Igneam spiras quoque charitatem,
Atque cœlestes imitata flammas:
Cordis internam popularis ædem
Lampade sacrâ.
Inuicem per Te sociamur omnes
Lege fraternâ, tacitisque nexi
Vinculis magnâ pietatis omnes
Claudimur vrbe.
Os tremendum Te genuit Tonantis
Grande mandati Tibi iure nomen
Inditum, quod iam moritura Te di-
lectio scripsit.

Scripsit, & signo rosei cruoris
Pondus adiecit pretiumq́ue verbis:
Totus hanc legem Crucis in tabella
Viderat orbis.
Nunc eam totus tamen erubescit,
Odium plantat vice charitatis:
Rarius nil est modo fratre, nil frequentius hoste.
Triste desertum sitientis Afri,
Caucasi nec non iuga congelati:
Et cruentatas habitare mallem
Tigridis ædes.
Quam duos inter quibus vna nunquam
Mens, amor nullus, pietasq́ue nulla:
Vita non nunquam datur inter ipsos
Tutior hostes.
Quam venenatæ simulationis
Inter Euripos quibus heu vicissim
Fallimus mox, & vice fraudulenta,
Fallimur ipsi.
Mutuam nobis rapuisse prædam,
Et per alternas sociûm ruinas
Dulceditari, satis est honestum
Vtile quidquid.
Hanc putat mundi schola charitatem,
Quæ nequit vendi sine caritate:
Empta sed rursum creet ampliori
Fœnore lucrum.

Sic

Sic amor fallax didicit vicissim
Corda mercari, ſed amor beatus
Proximum non quod pretioſus, at quod
Proximus arcto
Diligit nexu Deus hos amoris
Odit & damnat laqueos, iubetque
Nos columbarum placidam tenere
Simplicitatem.
Candor eſt veri ſoboles amoris;
Non amant qui mox dubitant, aperta eſt
Charitas, vultuque meridiano
Æmula ſoli.
Illa ſi mentes hominum ligaret,
Orbis hic pulcher paradiſus eſſet,
Iam dari poſſet quod & inuideres
Angele nobis.

Homo quidam deſcendebat ad Hieruſalem Hiericho & incidit in latrones. Luc. 10.

SAucius innocuiq; natans vir fonte cruoris
In Ierichontæo forte iacebat agro.
Corpus opem fœdè lacerataq; membra rogabant,
Sed qui ferret opem nemo viator erat.
Sol roſeam faciem ſceleri lucemq; negauit,
Indixitq; ſuis æſtibus ipſe modum.
Temperiem Zephyrus melioris fecerat auræ,
Molleq; proſtrato terra cubile dedit.
Ipſa viri ſortem flebant deſerta cadentis,
Vdaq; ſunt lachrymis reddita ſaxa nouis.
Iſſet ad exanimem vicinaq; ſilua iuuandum,
Si deſiderium non tenuiſſet humus.

Omnia mærebant, cupiebant omnia ferme,
Supplere humanas nec potuêre vices.
Iam duo transierant homines an forte leones,
An catuli sæuæ Tigridis ambo truces?
Primus erat Mystes, fuerat Leuita secundus,
Nec tamen hic cæsum, nec tulit ille virum.
Indoluit, lachrimisq́ stetit commotus obortis,
Vere gemma hominum Samaritanus homo.
Iumentumq́ superlanguentis membra reponens,
Vino mortiferas abluit ipse plagas.
Hospitiumq́ dein curam petÿtq́ fidelem,
Dimidÿsq́ statim sumptibus æra dedit.
Excors Mysta fuit, Leuitaq́ corde carebat,
Soli cor fuerat Samaritane tibi.
Intus eis glacie, flammis tibi pectora plena,
Samaritani illi, tu Seraphinus eras.
Nec poterat superos dilectio tanta latere,
Orator Deus est Historicusq́ tibi.

Diligere proximum tanquam se ipsum maius est omnibus holocautomatibus, & Sacrificÿs. Marc. cap. 12.

SPlendida constructis largiris munera templis,
Inque stipem totas fers animosus opes,
E manibusque tuis pretiosus depluit imber,
Tristia qui miseris arua rigare solet.
Te nemo melior, nemo magis aureus vno,
Delicias inopum dixero te esse meras.
Omnibus es gratus, sed non es gratus Olympo,
Secretum cordis Vis reserabo tui?
Vnum hominem totis aiunt te odisse medullis,
Odisti? te ergo scito dedisse nihil.

D. Io-

D. IOANNIS *Euangelistæ lectio assidua Diligite.*

ILLe oculus Domini, purissima Virgo, Ioannes,
In gremio potuit qui recubare Dei,
Iam cygno similis, fessæ propiorque senectæ,
Sueuerat hoc alijs ingeminare melos.
Filioli seruate pium vos inter amorem,
Obsecro vos arcto fædere diligite.
Discipulos iterata sui præcepta magistri,
Quærere secreti de ratione iubent:
Sed niueus respondit olor; simul omnia dicam,
Filioli, quoties dixero Diligite.

Ordinata Charitas incipit à se ipso.

SÆpe mihi recitat quod non intelligit ipse
Parcus at in dictis ingeniosus homo,
Ordo mihi seruandus, ait, dilectio non est
Conueniens, quoties non fauet ipsa sibi.
Hæc alijs donare vetat sententia, quippe
Omnia cum placeant omnia dono mihi.
Optima lex, interpres pessimus, imo Sophista,
Vnus es, at saltem respicit ordo duos.
Non tibi, sed nobis debetur pluribus ordo,
Da mihi, daq; alijs, sic erit ordo bonus.

Quod tibi non vis alteri ne feceris.

FInieram, Sophus ille tamen scitissimus instat,
Quod mihi nolo, etiam debeo nolle tibi.

Nolo mihi donetur ait, nihil amplius opto,
Si mihi nolo dari nec tibi iure dabo.
Subtilis pro parte sua nimis iste Magister,
Vere nummorum iustitiæque tenax.
Diuitijs turget, gemmis auroque coruscat,
Et cum non egeat, nolo facetus, ait.
Mutemus clypeos, mihi sint tua, sint tibi nostra,
Experiere melos pauperis esse, volo.

ANNVLI PERFECTÆ CHARITATIS GEMMA TERTIA
DILECTIO INIMICI.

Diligite inimicos Vestros, benefacite his qui Vos persequuntur.

QVæ gazas Arabum vincit, & Indiæ
Quæ gemmis emitur carius omnibus,
In qua summus apex ipsaq; clauditur
Perfectissima Charitas,
Nostro gemma superfulgurat annulo
Sacras inter opes ordine tertia
Hoc vincens alias quod propior Deo,
Sit mortalibus ardua.
Hostem diligere & mutua funditus
Extirpare iubet pectoris odia
Quod paucis licuit nec popularibus
Quondam mentibus assequi.
Phœnicem excipias si Stephanum mihi
Possem Pyrrhe tuo fors super annulo
Heroas alios scribere, quos amor
Fratres reddidit hostibus.

Et quem

Et quem pro lapidum grandine feruidas
Effudisse preces post Stephanum leges?
Quis cum percutitur verbera diligit?
Quis non corde reuerberat?
Non te saxa petant, nec iaculum citam
Fœdis acceleret vulneribus necem,
Linguæ tela feras sufficit inuide,
Nec mordentibus impios
Dentes excutias, Herculeæ tibi
Concedo spolium sumito laureæ,
Conflatum solidis ex adamantibus
Dicemusq́ animum tibi.
Non odisse graue est; sæpius id sine
Offensa facimus lege ferociæ,
Quid cum lædimur & sponte per æmulos
Irritamur ad odia?
Tunc ô turpe nefas pascimur inuicem
Humanæ dapibus carnis, & inuicem
Fraterni cyatho sanguinis ebrij,
Inter viscera proximi
Armata simul & sacrilega manu
Vindictæ gladiis pandimus ostia,
Interdum q́ togis vltio quæritur,
Castris vixq́ caret Stoa.
O quam sæpe dolet mæstaq́ Charitas
Vt partes redeant dissilientium
E cœlis loquitur, dilige, dilige,
Non est vltio sanctior.

Quid dentes acuis? proximus est tibi
Quem depascere vis; dilige, dilige,
Longe dulcius est nectare Charitas,
Quidquid mellea condijt,
Quam quod liuor edax polluit impij
Fœtoris saniæ felleq́ miscuit;
Hostem si cupias perdere funditus,
Illum cordis ad intimas
Deductum latebras merge profundius,
Inuito benefac, muneribus graua,
Hircanæ licet hic Tygridis vbera
Suxisset, tamen à tuæ,
Mollescet facilis lampade gratiæ;
His si cuncta velint ignibus odia
Conflagrare, breui sola catenulis
Nos dilectio iungeret.

Speculum dilectionis inimici in Christo Crucifixo.

Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.

DVm Crucis in solio pendebas ô *bone* IESV,
Non homo, sed populi vermis, & vmbra tui,
Audieras linguæ conuicia multa furentis,
Læta tuam risit quando Solyma Crucem,
Fessaq́; non poterant postquam tibi tela nocere,
Te varijs petijt gens maledica iocis,
Insultante dein cum sæpius ore tonaret
Atque melos iterum cum geminaret idem,
En rursum tuus inquit, amor, mihi bella parantur,
Septima iam linguæ forte sagitta volat.

Dux

Dux fueram belli, ſtantem̃ decet ergo perire,
Vt cadat armatus militat omnis amor.
Pugnandum linguis, ferrum quia vicimus omne,
Explorare licet, laurea cuius erit?
Sed quam blaſphæmi penetrantia ſpicula Verbi!
Corpora cum nequeant lædere, corda petunt.
Hoſtis habet noua tela meus, noua nos quoq; tela,
Pro verbis, & nos verba paremus ei.
Ille mihi maledicet, ego benedicere pergam
Plagis mille queam reddere mille preces.
Dum furit illudens Pater optime parce furenti,
Percutit, ô iterum te rogo parce Pater.
Sed furit ille magis, repetit conuicia rurſum,
O Pater ignoſcas tu quoq; quæſo magis;
Inſanæ quis enim curet deliria mentis
Eſſe ſuum neſcit plebs inimica Deum.
Ebria verba volant, madidis ignoſcito verbis,
Non bibit ambroſiam, toxica lingua bibit.
Toxica fert etiam, ſed diligo toxica, quidquid
Hoſtis habet fellis miſceat, omne bibam.
Frendet & odit, ego frendentem diligo, rurſum
Odit, ego rurſum diligo, rurſus amo,
Ille ſuum clauſit pectus mihi, cor ego pandam,
Illius hoſtis ego, frater at ille mihi,
Sit merus ille furor, fiam merus ignis amoris,
Agnus ero, fiet ſi ferus ille Leo.
Si rugiat, balare volo, ſi ſæuiat, iram
Placabo cultus dexteritate mei.
Ægide non opus eſt, parmæ clypeiq; faceſſant,
Sufficit innocui pectoris vmbo mihi.

Caucaſus ipſe pio quod ſi côncedit amori,
Hoſtis ab hoc etiam noſter amore ruat.
Ecce fatigatæ ceſſarunt prælia linguæ,
Vicit amor, raucis faucibus hoſtis abit.
Vtq́; ſuos confundat amor fortiſsimus hoſtes,
O redeant, Sitio prælia rurſus, ait.
Hoc ſpeculum Deus eſt quo non exactius vllum,
Perfecti quæris quisquis amoris opus.
Quo magè diligitur tuus hoc mage vincitur hoſtis,
Dilige, non alio fortius enſe cadet.

VOTVM ET GRATVLATIO.

FEſtiue Scazon, quidquid hactenus nobis
Dolore longo perditum fatigatis
Veloce penna tempus abſtulit præceps,
Dies hic aureus, dies dierum flos
Felicitatis prodigus ſuæ, grato
Ortu reduxit; ô iocoſe confrater
Si quando muſas dulcius ſalutaſti
Incede nunc iam delicacius mecum,
Sacriq́; fila tende barbiti quæſo
Pediſq́; ſolues quando ſplendidi greſſum,
Mortale nil, nil ſæculare portendas,
De Charitatis lege deq́; Diuini
Amoris igne diſſerentis audimus
Portenta linguæ, rebar ipſius vocem
Tonare Charitatis, an coruſcanti
Delapſa cælo venit eruditorum

In roſtra

In rostra virtus! tam venusta, tam dulcis,
Tam Gratiarum musteis fluens riuis,
Tersissimas vt audientium mentes
Inebriare possit & soporare?
Et visa nobis tota flosculis cincta
LOMBARDIANIS, *tota pulchra fulgenti*
Amicta Sole, Syderumq́ scintillans
E fulgurante pulchritudinem veste
Super theatro claruisse Musarum.
Hæremus omnes angimurq́ suspensi,
Litemq́ nec dum iudicatus hucusq́
Finiuit error, alueario cuius
Manauit hoc mel? Charitatis an tostum
Os Tulliani fontis irrigauit ros?
Dulcedinis ne limpidissimæ suadam
Sui calore Diua cordis inflamans
Faces in ore lampadasq́ suspendit?
Sed quidquid istud, vndecunq́ deductum,
Videtur amplum, grande, floridum, viuax,
Tersumq́ cygneumq́ musteum, dulce,
Cum lene currit; rursus igneum, feruens,
Et fulminans, & fulgurans, & incendens,
Cum præliatur & triumphat, & plaudit;
Rei medullam, corculumq́ vis dicam?
CINERSCIANVM *dixero satis dixi.*
Vt semper olim lacteum fuit totum,
Et succulentum, roscidum, coronatum,
Os quando gemmis grandinare facundis
Istud volebat, ipsa diuitis gazæ,
Reuelat, & nunc colligitq́ secreta,

Ab igne

Ab igne quando Charitatis ignescit.
Olor canore, gutturisne dulcedo
Tui latere possit, aut tubæ clangor
Quotidiano per Lycea concentu
Longæ sonantis? nouimus triumphantem
Per rostra vocem, qua diserte CINERSKI
Quondam probasti mortuam fidem nobis
Si sola, si sit otiosa, virtutum
Ni cæterarum fulciatur accessu.
Ignitus & nunc factus es Seraph, Diuæ
Dum Charitatis præliaris in circo
Pugnace linguâ, melleoq́ mucrone.
O miles, ô future Ductor istius
Breui palæstræ! post FIDEMq́; *defensam*
Post lampadasq́ CHARITATIS *accensas*
SPES *sola restat, spes honoris excelsi,*
Hæc tetricarum noctium laborumq́
Curas ædaces tædiumq́ nutriuit.
Hæc eruditæ sæculum vetustatis,
Recentiorum nobilesq́ conatus,
Et grande quidquid, quidquid vspiam pulchrum,
Enixa Pallas, imperauit in dulcem
Vertisse succum nauseamq́ scribendi
Vmbrasq́ mille, squallidumq́ pallorem,
Dulcore mellis nectarisq́ torrente
Lactabat olim Diua, nunc CORONABIT.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.